

*Sacramentum brevi ante passionem institutum non est sacramentum N. T.*

Resp. Hic Syllogismus non est disjunctivus, ut videtur, cum major non sit disjunctiva: licet enim adsit particula disjunctiva *vel*, ea tamē majorē non reddit disjunctivā. Sciendū ergō, quod particula disjunctiva *aut*, *vel* dupliciter poni possit in Enunciatione, (a) ut disjūgat tantum terminos, vel partes unius termini e.g. cū dico: *Homo est doctus vel non doctus*, ubi tantum partes termini, nempe praedicali disjūguntur, & h. m. particula disjunctiva non facit enunciationē disjunctivā, sed simplicē de extremo, nēpe subiecto vel praedicali disjunctō (b) ut disjūgat integras enunciationes, e.g. *aut homo est doctus, aut homo nō est doctus*, h. m. facit disjunctivā enunciationem. Quia in majore adducti Syllog. particula Disjunctiva disjūgit tantum partes termini, praedicali scilicet nēpe *Baptismū & cenā Domini*, patet, majorē non esse disjunctivā, sed simplicē de praedicali disjunctō, quia autē major nō est disjunctiva, ipse quoq; Syllogismus nō est disjunctivus, imo planē non Cōpositus, sed simplex sive Categoricalis. Dicis: quid igitur respondendū? Resp. habet plures quā tres terminos, nēpe seqq. 1. *Sacramentū N. T. 2. Baptismū vel cenā Domini 3. Sacramentū brevi ante passionem institutum. 4. Coena Domini.*

Posset hic subjungi caput de Syllogismo copulativo, sed quia hic rarius adhiberi solet, notetur saltem, quod in eō in primis vitium occurrat, si majorem vel primā nempe copulativā habet affirmantē, aut si à remotione unius ad positionem alterius procedit. De aliis quae hic posset addi, alibi.

F I N I S.

